

CHARTA

Qua Godefridus quondam Lingonensis episcopus, Wichardus Pontiniacensis et Gaufridus Clarævallensis, abbates, controversiam inter Alanum Antissiodorensem et comitem Nivernensem ortam componunt.

(Anno 1164.)

(*Gallia Christiana nova*, t. XII, Instrum., col. 127.)

Ego **GODEFREDUS**, episcopus quondam Lingonensis, notum fieri volo tam præsentibus et futuris, quod de quibusdam querelis quæ inter dominum Alanum venerabilem episcopum Antissiodorensem, et Willelmum illustrem comitem Nivernensem agitabantur, auxiliante Deo, per manum nostram et Wichardi Pontiniacensis, et Gaufridi Clarævallis abbatum, de jure et consuetudinibus prædictorum episcopi videlicet et comitis inquisita diligentius veritate, tali modo amicabili facta est compositio. Salva igitur in primis, et approbata charta quam inter prædecessorem hujus dominum Hugonem episcopum et avum istius comitis, comitem scilicet et de Carthusia sanctæ memorie, Bernardus Clarævallis abbas composuit, statutum est a nobis, ut quidquid in ea diffinitum est, et ipsorum sigillis firmatum, ratum habeatur, et tam ab episcopo quam a comite cunctis diebus inviolabiliter obseretur. Igitur de terra mercati quæ tam episcopi quam comitis communis est, cognitum est, quia neutri eorum eam dare alicui, vel aliquid ibi facere sine assensu alterius licet, excepto quod comes in ea stalla concedere solis cambiatoribus potest, tantummodo ad cambiandum, quæ tamen ab eis ad alios usus transferri non possunt: ita duntaxat, ut si pretium exinde comes habuerit, episcopus medietatem habeat, de theloneo quod episcopus et viccomes accipiunt, ministeriales comitis nihil se intromittere habeant. Terra quæ Kalende Maii appellatur liquet quia episcopi est: unde comes nihil ibi facere habet, et quod in ea construxerat ædificium cadat. Similiter domus juxta pontem, quia cognitum est et manifestum constructam eam esse super aquam quæ a ponte inferius, juris episcopi est, cadat. Equitaturas hominum episcopi, vel ec-

A clesiarum ministerialibus comitis capere ad aliquid faciendum, vel alicubi mittendum non licet, sed et pro munitionibus faciendis, vel reficiendis nihil ab hominibus episcopi, vel ecclesiarum est exigendum. Aliquoties homines episcopi apud ministeriales comitis conqueruntur, et eis justitiam facere nolunt, nisi pro ipsis se justitient, etiam hi quidem non debent nisi de mercato viventes, unde manifestum est quia ideo non est eis justitia subtrahenda seu neganda. Præterea contigere solebat quod homines comitis hominibus episcopi sua credebant, et cum non possent credita rehabere, propter hoc res aliorum hominum episcopi capiebant, quod dictum est omnino fieri non debere; credentiae enim a nullo nisi ab eo cui sunt creditæ, sunt requirendæ. Recognitum est præterea quod in feodatis servientibus quos episcopus habet Antissiodori, vel alibi etiam de mercato vivant, comes nullam omnino in foro, apto alio in loco pro aliquo forisfacto, nisi per episcopum habet justitiam seu potestatem. Ut igitur præscripta compositio rata et inconcussa perpetuo maneat, episcopi, comitis et nostro sigillo eam confirmavimus, notatis testibus qui nobiscum præsentes interfuerunt. Henricus venerabilis Trecensis episcopus et Girardus ejusdem archidiaconus, Guido Antissiodorensis præpositus, Willelmus decanus, Stephanus cantor, Stephanus cellarius, Garnerius senescallus, Stephanus de Petrapertusa milites, Stephanus episcopi præpositus, Raaudus, burgenses Antissiodorenses.

Actum anno ab Incarnatione Domini 1164.
regulante Ludovico Francorum rege Christianissimo.

DIPLOMATA ALANI.

(*Gallia Christiana nova*, XII, Instrum., col. 126 et seqq.)

I.

*Charta Alani episcopi pro Monasterio S. Mariani.
In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego*

D ALANUS Antissiodorensis episcopus. Quoniam certum est episcopum Christi vicarium esse, ejusdem Christi pauperum debet necessitatibus subvenire.